

quod verba, quibus Sacramenta fiunt, a Deo, qui vim ipsis indidit, sunt instituta. At præter verba *Hoc est, etc.*, quæ alia verba Deus pro Eucharistia conficienda determinavit? Hæc solum sacri Scriptores commemorant, hæc unice Christi ac Divina verba esse tradidere Patres, ac ea tantum ex iis, quæ consecrationi necessaria habentur, sacræ Liturgiæ a Christo determinata asserunt. Quis enim est, qui Spiritus Sancti invocationem, precesque a Christo adhibitas, institutas, commendatas scripserit? Et cur potius preces illas ab Ecclesia humana institutas auctoritate non dicimus? Discurre per officia Sacramentorum omnium cum Orientalis, tum Occidentalis Ecclesiæ, in omnibus reperies invocationes, precesque, quibus Ministri rogant, ut Deus per Spiritum Sanctum suum, gratiam illam conferat, quam per illa se collaturum promisit. In iis preces illæ ab Ecclesia institutæ generatim creduntur, ac a forma Sacramentorum omnino diversæ habentur, immo et vere perfici Sacramentum sine illis firmissime creditur. Cur ergo uni Eucharistiæ hæc preces necessariæ putantur? Verum est, Eucharistiam, quæ necessitatis Sacramentum non est, non posse, ut Baptismum, et Pœnitentiam, in ullo casu licite sine illis confici, quo sensu est a Patribus nonnullis assertum, sine precibus non fieri. At inde nefas est concludere, formam constituere. Sed videamus, quid utriusque Ecclesiæ Patres, quid traditio Ecclesiarum, quidve Liturgiæ ipsæ nos doceant.

Incepto a Latinis: Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 40. ait, « Accepit panem, et distributum discipulis Corpus illud suum fecit dicendo: *Hoc est Corpus meum.* » Apud Cyprianum Auctor. serm. De Cæna Dom. ait: « Ex quo a Domino dictum est, *Hoc facite in meam commemorationem, Hæc est caro mea: Hic est sanguis meus*; quotiescumque his verbis, et hoc fide actum est, panis ille substantialis, et Calix solemniter benedictione sacratus, ad totius hominis vitam, salutemque proficit. » Ambrosius lib. de Myst. cap. 9. num. 52. « Quod si tantum, inquit, valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? » Et num. 54. sequitur: « Ipse clamat Dominus Jesus: *Hoc est Corpus meum.* Ante Benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem Corporis significatur. » Eadem vel ipse, vel quisquis est Auctor. *Libror. de Sacram.* qui Ambrosii nomine circumferuntur, lib. 4. cap. 4. num. 14. ait scribens, « Sermo Christi hoc conficit Sacramentum, » et num. 19: « Fit Sanguis consecratione verbi cœlestis, » cap. 5. num. 23. « Antequam consecraretur, panis est; ubi autem verba Christi accesserint, Corpus est Christi. » Ne autem putent, orationem ab Ambrosio verba Christi nuncupari, audi ipsum loco citato de Myst. ita loquentem: « Ipse clamat Dominus Jesus, *Hoc est Corpus meum,* » et 4. de Sacram. cap. 5. num. 22. « Illa verba Evangelistæ sunt ad usque *Accipite*: Inde verba sunt Christi. » N.

vero 14. Consecratio autem, quibus verbis est, et cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur in superioribus, a Sacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris; Ubi venit, ut conficiatur Venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus utitur Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. » Sanctus Augustinus *Serm. de divers.* 227. alias 83. inquit: « Panis ille, quem videtis in Altari: sanctificatus per verbum Dei, Corpus est Christi, Calix ille, immo quod habet Calix sanctificatum per verbum Dei, Sanguis est Christi: » Verbum autem Dei est sermo ille Christi, *Hoc est, etc.* ut ex Ambrosio, aliisque Patribus aperte constat. Hic notare juvat. Amb. loco cit. de Myst. cap. 6. dicere, « per benedictionem panem consecrari, sive illius naturam mutari, » et Aug. lib. 3. de Trinit. cap. 4. asserere, « Eucharistiam prece mystica consecratam; » ubi uterque verbis Christi precum, vel benedictionis nomen tribuit. Eusebius Emissenus, vel alius sub ejus nomine *Hom. in Ramis palmarum*: « Dixit, inquit, Christus tunc per se, et modo per suos Ministros, *Hoc est Corpus meum.* et tanta est ejus verbi virtus et efficacia, ut statim fiat, quod dicitur. » Ita Auctor quoque loquitur sermonis 28. de verbis Domini, qui Augustino tribuitur, et sermonis 5. de Paschate, qui nomine Eusebii Emisseni circumfertur. Quibus addimus Paschasium l. de Corpore et sanguine Domini, c. 12. et c. 15. Remigium Antissiodorensis, et Stephanum Eduensem aliosque a Martenio citatos; ex quibus sufficienter probamus, universalem Patrum Latinorum cujusque ætatis sententiam satis etiam significatam, et explicatam in Conciliis Florentino, et Tridentino, occasione dedisse Rubricæ jussu Pii V. Missali Romano præmissæ, quæ tit. de Defectu panis hæc habet: « Si celebrans ante consecrationem advertit hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam, remota illa hostia, aliam ponat, et facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco ubi desivit. Si advertit post consecrationem, etiam post illius hostiæ sumptionem, posita alia, faciat oblationem, ut supra, et a consecratione incipiat, scilicet illis verbis, *Qui pridie, etc.* Quod si hoc contingat post sumptionem sanguinis, apponi debet rursus novus panis, et vinum cum aqua, et facta prius oblatione ut supra, Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis, *Qui pridie, etc.* Quæ sane innuunt, sine precibus, et invocatione, Latine Ecclesiæ judicio Eucharistiam consecrari. Venio nunc ad Græcos Patres. Primo loco afferemus Justinum Martyrem. En verba ex Apol. 2. circa fin. de prompta, ubi Eucharistiam consecrari, ait, δὲ εὐχὰς λέγει per orationem verbi; nomine autem εὐχὰς non effusam deprecationem, sed expressam a Christo Dei Verbo, animi sententiam, verbis designat, cum paulo post, Verbi orationem sive deprecationem illam fuisse asserat, quæ in Evangelio reperitur, nempe, *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* Atque hic notent velim Adversarii, εὐχὰς seu preca-

tionem, vel orationem Græcos, Patres illam Christi orationem vocare, qua dicit *Hoc est corpus meum*, sive quod vox illa quamlibet animi sententiam verbis expressam significare quoque valeat, ut nonnulli censent sive quod eo animo verba illa prolata, quo Christus eadem pronuntiavit, eam præ se mentis humiliationem, ac desiderium, voluntatemque ferant, quæ proferentem, vere precantem constituat, Irenæus, qui paulo post Justinum sæculo II scripsit, lib. 4. adv. Hæres. c. 32, in edit. vero Massuet. 17. num. 5. aperte ait, « Dominum vertisse in Corpus suum creaturam panis, dum dixit, *Hoc est Corpus meum*; » et lib. 5. cap. 2. num. 3, « de pane et vino, inquit, et percipientia Dei verbum Eucharistia fiunt. » Vides ergo, Irenæum verbum Dei appellare verba Christi supra relata, quæ verba lib. 4. cap. 43. antiquæ edit. *Invocationem Dei* appellaverat, dum dixerat: « Panis percipiens invocationem Dei... est Eucharistia. » Sed audiamus Misenum, qui clarius exponit, quid hic verbi nomine veniat apud antiquos Patres Græcos. Or. Cathed. cap. 37 de pane ita loquitur: « Statim per verbum in corpore mutatur, ut dictum est, a verbo, *Hoc est corpus meum.* » Origenes quoque in *Matth.* ad hæc verba, *Quod intrat in os, etc.* Eucharistiam vocat « Cibum per verbum Dei, et precationem sanctificatum, seu consecratum, » ubi sane totam Liturgiam designant, quæ preces complectitur, et verbum Dei, seu Christi verba, quæ hoc nomine designantur. Nazianz. Orat. 2. de Pasch. ait: « Prolatis verbis a Sacerdote, *Hoc est Corpus meum*, qui non credit esse Corpus Christi, certe fidem derogat. » Epiphanius in *Anchorato*: « Voluit, inquit, Christus per gratiam dicere, *Hoc est corpus meum*, et nemo non habet fidem sermoni. » Ne vero nimis in longum orationem protraham, tres tantum addam ex Græcis Patribus. Chrysostomus magni apud Orientales nominis, *Hom. 2. in Epist. ad Timoth.* demonstrat, eandem esse oblationem Christi, ac Sacerdotum, quia iisdem ii utuntur verbis, ac Christus est usus: « Quemadmodum, inquit, verba, quæ protulit Christus, eadem sunt, ac quæ Sacerdos nunc quoque pronunciat, et oblatio eadem est. » Et lib. de *Proditione Judæ*, habet: *Hoc meum est Corpus*, inquit Sacerdos. Hoc verbum proposita in aliam formam convertit. Accedit etiam, pluries Chrysostomus dixisse: « Sacerdotes Eucharistiam conficientes ita se gerere, tamquam Christi personam induti, et quasi ipse esset, qui diceret, et faceret. Quare? Quia nomine Christi dicunt, *Corpus meum*, et Christi virtute semel verbis illis concessa Eucharistiam perficiunt. » Similia habet Damascenus lib. 4. de *Fide Orth.* cap. 13; ait enim: « In principio dixit Deus, *Producat terra herbam viventem*, et ad hanc usque diem, accedente imbre, divino præcepto impulsus, et roborata fructus suos profert. Dixit perinde Deus, *Hoc est Corpus meum, et Hic est sanguis meus, et hoc facite in meam commemorationem*: idque omnipotenti ejus præcepto, donec veniat, efficitur. » Ubi

explicat, fieri hæc per invisibilem Spiritus Sancti operationem, quam per invocationem Ecclesia significat, ut nos infra ostendemus. Joannes Phurnes apud Allatum de *Cons. Occiden. et Orient. Eccles.* c. 15. in *Epist. de Ritibus in Communionem immutatis*, ait: « Panem benedictionis videmus ab Apostolis sanctificatum illis tantummodo verbis, *Hoc est, etc.* En Græcos Patres.

Discurramus nunc per universas Orientis Ecclesias, quarum unanimis hac de re consensus rem potest extra controversiam omnem collocare. Ad Syros quod spectat, sive Jacobitas, sive Orthodoxos, supervacaneum duco, eorum in medium proferre testimonia, quorum longam seriem videre est apud Assemanum in *Biblioth. Orientali*, ejusque Nepotem, qui eruditam de hoc argumento dissertationem edidit, ac doctissimum P. Benedictum Societatis Jesu in dissertatione præfixa secundo Operum S. Ephrem Syritom. Ii enim ostendunt, penes hujusmodi gentem inauditam esse Cabasilianam opinionem; ac Auctores omnes, dum verba designant, quibus hoc fit Sacramentum, Christi verba recensere; licet plures ex iis sint qui dum velint in *Missæ* Eucharistiam confici significare, soleant quandoque asserere, per Christi verba, et Sacerdotum preces, aut invocationem perfici; quod nemo negat. Quod ad Armenos attinet, quos tanto studio Brunus in suam trahere conatur sententiam, ad est Concilium ab illis coactum anno 1342. in quo palam omnes professi sunt, hujus Sacramenti formam esse Christi verba, ut legere est apud Marten. tom. 7. *Collect. Anecd.* Adsunt præterea Fidei confessiones, quæ tom. 3. de *perpetuitate fidei circa Euchar.* recensentur, in quibus solis Christi verbis vis consecrandi tribuitur. Harum altera ab eorum Patriarcha, quatuor Episcopis, et nonnullis Presbyteris Alippi edita fuit an. 1668. altera vero Romæ a Patriarcha Haridour. Similia exponunt aliæ fidei Professiones in eodem recensitæ opere, nempe professio fidei Ecclesiæ Damascenæ, et Matthæi Patriarchæ Alexandrini Cophorum, in cujus confessione Ægyptiorum, atque Æthiopum omnium sententia declaratur de consecratione solis Christi verbis perficienda. Græcorum quoque in eodem insunt opere fidei professiones idem declarantes, scilicet Metropolitæ Gazæ, nonnullorum Moscoviticæ Ecclesiæ Presbyterorum, Nicolai Spadarii, aliorumque, qui in toto Moscoviæ Imperio istam consecrandæ Eucharistiæ rationem explicari declararunt. Mitto Georgium Corecium, Gabrielem Philadelphiam formam hujus sacramenti Christi verba statuentem, et Photianos quamplurimos, quos Papadopoli recensuit. Unum sufficiat Palamiticum Concilium, cujus acta Iassis in Moldavia recusa fuere ann. 1498. In eo novitatis accusatur, atque damnatur Cabasiliana opinio, per hæc verba: « Damnatur novitas opinionum, quas invexit in Ecclesiam Nicolaus Cabasilas, qui tribuit consecrationem sacrorum donorum precibus, quod nec dictum fuit ab aliquo SS. PP. nec ab ullo Canone ordinatum, »

nec consentit cum placitis Ecclesiae, quae implorat adventum Spiritus Sancti precibus, non ad panem Corpus, et Vinum Sanguinem omnino efficiendum, sed ut redundet in utilitatem nostram. » Sed ut appareat, ante Nicolaum Cabasiliam, inauditam fuisse, in medium proferamus Graecos Patres, qui Florentino interfuerunt Concilio. Archiepiscopus Nicænus suo, et aliorum Ecclesiam Orientalem representantium Patrum nomine, coram Eugenio P. M. ac tota Synodo: « Volumus, inquit, adherere sententiis Sanctorum Patrum, et rationibus, spretis humanis inventis, Cabasiliana scilicet opinione, de qua disputatur. » Et Julianus Cardinalis S. Sabinæ referens Patribus, quæ post disceptationem Graecos inter atque Latinos a sex Deputatis pro expositione illorum, quæ definienda essent, stabilita fuerant, de Consecrationis Eucharistiæ forma dixit: « Græci confessi sunt, auditis nostris rationibus, quod semper tenuerunt, quod solis verbis Dominicis conficeretur, et quod putarent anathema, qui aliud crederet. » Fuit institutum, ut hoc poneretur in definitione: « dixerunt, quod hoc non erat necessarium; immo si hoc poneretur, Ecclesia ipsorum reciperet ignominiam, ac si hactenus tenuisset aliud. Unde cum semper fuerimus concordēs in hoc, definitio non debet fieri nisi in dubiis, et sumus parati confiteri, quod tenemus sicuti vos, quod in verbis solis Dominicis conficitur. » Si hæc, quæ Græci in Florentina Synodo exposuerunt, cum iis conferantur, quæ supra indicavimus, satis notum esse arbitror, non minus in Occidente, quam in Oriente, veluti Novatores habitos esse Cabasilianæ opinionis propugnatores. Ex Orientalibus allata jam monumenta probant; quod vero ad Latinos attinet, addere quoque possumus, Catharini, et a Capite Fontium opera fuisse statim Sedis Apostolicæ auctoritate proscripta; Totum vero, atque Brunum novitate opinionis plures commovisse in Gallia, et in Italia, qui ex professo eorum opinionem, ut novam, ac etiam temerariam, ut Assemanus junior publice Romæ asseruit, et propugnavit; refutaverunt. Hæc sane rem maxime suspectam faciunt. Quid vero, si Patrum addantur supra relatæ auctoritates?

Sed, inquit Brunus, Antiqui Patres uno fatentur ore per verba Christi, ac per preces Eucharistiam consecrari; et Liturgiæ omnes Spiritus Sancti invocationem habent, qua Deus rogatur, ut panem vinumque transmutet, quæ apud Orientales sequitur verba Christi, apud Latinos vero præmittitur, habeturque in oratione illa, quæ incipit, *Quam oblationem tu Deus*, etc. Opinio ergo illa, inquit, de solis Dominicis verbis Eucharistiam conficiendis recens est, et post undecimum sæculum Scholasticorum cerebro conficta, qui traducto ex Arabum philosophia in Theologiam materiam, ac formæ vocabulo, ac juxta a se excogitatum systema res metientes, formæ nomen ad sola Christi verba restrinxerunt. Sed quis hominem tam inepte philosophantem ferat? Nam credibile

non est, in re tanti momenti, et quæ Presbyteris omnibus ignota esse non poterat, quamque Episcopis omnibus statuere debemus omnino exploratam, potuisse Scholasticos novam opinionem excogitare, quæ partem tollendo necessariæ formulæ potuisset extendere, ut nullum conficeretur Sacramentum nemine prorsus reclamante. Ac multo minus credibile est, tam brevi tempore hanc fuisse per Occidentem et Orientem ita sparsam, ut eam apertis ulnis amplexi sint omnes. Itane Graecos erga Latinos affectos fingamus, ut in ipso schismatis fervore, statim a Latinis nova, ac eorum majoribus contraria de Eucharistiæ confectione, sententia excogitata fuit, eam omnes amplexi sint, nullo penitus contradicente? Tam tardi erant Sacerdotes, tam stupidi Episcopi, ut passi sint omnes sine contradictione, in scholis tradi, ac palam doceri opinionem, quæ opposita esset sententiæ, quam illi didicere, dum sacrum susceperunt Presbyteratum; et quam isti docere debuerant eos, qui ad ordinem hunc promoverent? Neque enim præsumi potest, Presbyteros, ac multo minus Episcopos id ignorasse. Immo cum per plura sæcula circa Sacramentorum formulas disciplina vigerit arcana, ut Schelestratius, alique Viri docti demonstraverunt, potius ex tradita ore ab Episcopis, Presbyterisque doctrina forma Sacramentorum, et præsertim Eucharistiæ, quod quotidie ab ipsis conficiendum erat, quam ex scripto traditis monumentis, colligenda videretur. Quamobrem, cum postquam propriis vocabulis hujus, et cujusque Sacramenti forma designari cœpit, verba tantum Christi hoc nomine appellata ubique fuerint, præsumendum est, hanc fuisse traditam a Majoribus sententiam.

Sed expendamus sophismata. Primum vero statuo, Eucharistiam in Missa confici, quæ verbis Christi, et precibus constat: quamobrem, ut dici solet, in Missa consecratur Eucharistia, ita potest asseri per Orationem fieri, et verba Christi, quia verba Christi sine reliquis Orationibus numquam in Eucharistia perficienda adhibentur. Deinde, Formæ Sacramentorum Invocationis, Orationis, et Precum nomine a Patribus designantur: Tertullianus, Cyprianus, et Ambrosius invocationis nomine donarunt verba quibus conficitur Baptisma; Irenæus, et Firmilianus Invocationem dixerunt verba Christi, quibus fit Eucharistia, eandemque Origenes appellavit preces, ut Huetius in *Origenianis* observat. Immo quæ Latini verba Sacramenti vocant, Græci passim nominant orationem, et invocationem: Hinc Gabriel Philadelph. inquit, *Forma Baptismi est invocatio SS. Trinitatis*. Atque hinc liquet, Patres aliquando invocationis precumque nomine ipsa Christi verba designasse; quandoque vero, innuere voluisse ea, quæ Christi verba, quibus unice vim transmutandi inesse docuerunt, in sacra liturgia, vel præcedunt, vel subsequuntur.

Quoniam vero ad invocationem nos provocat, quæ in Liturgiis reperitur, principio aio, non constare invocationem fuisse a Christo Domino institutam, atque præsertim.

Nam cum constet, invocationes, quæ in aliorum Sacramentorum administratione adhibentur, fuisse omnes Ecclesiae auctoritate institutas, id quoque de hac invocatione præsumendum est. Et jure, atque merito, missa enim Gregorii Magni auctoritate, ex quo colligitur nonnulli, Apostolos sola Evangelica historia, cum Christi verbis, et Dominica oratione consecrasset, doctissimus Maffæus ex Irenæi fragmento probat, secundo Ecclesiae sæculo non fuisse invocationem hanc in omnibus Ecclesiis receptam, atque in Missalibus Gallicanis a Mabillonio editis desiderari, ac in antiquis nonnullis Liturgiis deesse. Quid ergo præsidii habet in illa invocatione Cabasiliana opinio? Expendamus vero Liturgias ipsas Orientalium. 1. In iis præscribitur ut Sacerdos, cum ad Evangelica verba pervenerit, recitata submissa voce, et cursim institutionis historia, Christi verba distincte, et elevata voce proferat, ut populos magnum opus effici moneatur; immo in ea, quæ Marci dicitur, Diaconus populum hortatur, ut enixe oret; ac refert Maffæus ex viris fide dignis, Orientales, dum ea proferuntur, caput dimittere, et venerari, atque eos, qui rem magis cognoscunt, secum ipsos Christum præsentem fieri profiteri. Quod quidem vel in ipsis Coptorum Liturgiis præscriptum videtur, quæ populo acclamante præcipiunt. *Amen*. Hanc autem acclamationem institutam ab Ecclesia fuisse, ut fideles Eucharistiam suscipiendo, eam Christi Corpus esse profiterentur, docuere Cornelius Papa in *epist. ad Fabium Antiochenum*; Cyrill. *Catech.* 23; Hieron. *epist. ad Pammach.* et Ambrosius, qui refert, a Fidelibus adhiberi quoque consuevisse ad significandum jam fuisse consecrationem peractam; sed quid illa apud Ægyptios acclamatio significet, non opus est ex Antiquis monumentis argumentari; Æthiopes enim, qui ex Ægyptiis disciplinam, ac Liturgias acceperunt, quique simpliciorum antiquam servavere fidem, ita solent acclamationem exprimere; postquam Populus acclamaverit *Amen*, post Christi verbi prolationem, subdit, « Credimus, certo scimus laudamus te, Domine Deus noster. Hoc est vere, et ita credimus Corpus tuum. »

Ut vero appareat, nil ex illa non posse invocatione argumentari, hic observare juvabit, nullum reperiri nequidem apud Orientales Sacramentorum officium, in quo præter formam, qua Sacramentum fit, preces non occurrant, etiam post Sacramenti confectionem recitandæ, in quibus Deus rogatur pro gratia, quam per illud Sacramentum confert. In Baptismo Deum orant, qui Severi Antioch. ordine utuntur, ut sanctificet hominem, etiam postquam baptizatus, et sanctificatus est. In Confirmatione oratur, ut Confirmatum Deus confirmet, et perficiat; idem occurrit in Ordinato, in quo rogatur Deus, ut illi auctoritatem, et potestatem conferat; et in administratione Sacramenti Pœnitentiæ postquam per absolutionem peccata remissa creduntur pœnitenti, Sacerdos orat, *ut passio Christi, etc. prosit illi in remissionem peccatorum*, etc. Idem in oratione pro defunctis Ecclesia ro-

gat, ne absorbeat earum animas Tartarus. Sicut ergo hæc invocationes, precesque ex institutione Ecclesiae ad momentum referuntur, vel in quo confertur Sacramentum, vel transitus hominis ex hac vita: cur invocatio illa, quæ post consecrationem in Liturgiis Orientalium recitatur, ad illud instans referri non poterit, quo per Christi verba Sacra dona transmutantur? Accipe verba Episcopi Ostiensis in *scholiis in Constit. Apostolicas*: « Constans, et perpetua fuit omnium Patrum sententia verbis Domini tantum mysterium administrari, quod vero hoc loco dicitur (loquitur de invocatione) ad superiora verba respectum habet, et ad illa referri debet. Ut enim quæ ante consecrationem dicuntur, ad oblationem Corporis, et Sanguinis dirigenda sunt, sic quæ post consecrationem mystice precatur, et facit Sacerdos, ad unum peractæ consecrationis actum tribuuntur. Sacerdos ante consecrationem tenens manu Patenam et Calicem dicit se offerre Hostiam immaculatam pro peccatis, et Calicem salutaris. Quæ actio respondet oblationi Corporis, et Sanguinis faciendæ tunc antipatione quadam Sacerdotis mente, atque proposito conceptæ. Ita post consecratam Eucharistiam, invocatur Spiritus Sanctus illorum munerum Sanctificator, et peracti operis una cum Patre, et Filio effector. Quæ invocatio non est separanda a prima actione, qua Sacerdos verba Domini proferens, panem, et vinum consecravit; sed ad eundem actum revocari debet. Immo ad idem temporis momentum, quo illa admirabilis conversio facta est: Nam eum omnia simul, atque uno tempore fieri non possint, ordine, ac temporis intervallo disponuntur. Quæ vero sermone, et tempore dividuntur, cogitatione, et intelligentia sunt in unum conjungenda. » Dicit quoque potest, per invocationem illam, quam Græci Patres Concilii Florentini respondere dixerunt Latinæ precis incipienti: *Jube hæc perferri per manus*, etc. Deum rogari, *ut sit Christi Corpus communicantibus in purgationem animæ*, ut Græci illi Patres fassi sunt, et ut etiam in Liturgiis nonnullis indicatur in quibus dicitur, *ut panis Christi Corpus suscipientibus fiat*, hoc est, ut prosit tamquam verus, spiritalis, ac divinus cibus.

Quod spectat ad Argumentum ex voce *Antitypa* desumptum, aio in Liturgia Basilii post Christi verba, sed ante invocationem Spiritus Sancti, oblata dona, appellari *Antitypa* Corporis et Sanguinis Christi, hoc est, figuram Corporis et Sanguinis Christi: sed inde Cabasiliani non recte deducunt, non esse per Christi verba in Corpus, et Sanguinem Christi transmutata. Nam certo constat a Patribus, species panis, et vini post consecrationem appellari *Antitypa Corporis et Sanguinis Christi*, quod species illæ sint symbola Corporis Christi non absentis, sed præsentis, et sub iisdem latentis, et quod figura sint Corporis Christi, ut fuit in Cruce. Ita Cyrillus Cat. 5. Nazianzenus orat. 2. Macarius, alique ab Arcudio, et Allatio relati. Deinde in Basiliana Liturgia dum Sacra dona

Antitypa vocantur, ad tempus illud referuntur, in quo ante Christi verborum prolationem oblata fuere. Ita enim latine reddita sunt a græcæ linguæ peritis Basilii verba: *Et nos, qui proposuimus Antitypa Corporis, et Sanguinis tui.* hoc est, qui obtulimus panem, et vinum, quæ figura sunt Corporis, et Sanguinis tui.

Huic solutioni favent etiam Damascenus Joannes, et Epiphanius, qui, ait Tournelius de *Sacr. Euchar.* Art. viii. nobis significat, vocem illa *Antitypa*, referendam esse ad tempus antecedens prolationem verborum Sacramentalium, licet post illam ordine collocetur in Liturgia.

Nota I. Orientales nonnulli Scriptores, præsertim Syri, causam quoque afferunt, ob quam invocatio Spiritus Sancti in Orientalium Liturgiis post Eucharistiæ institutionis historiam, et Christi verba collocata sit, licet per eam postuletur, ut id fiat, quod divina virtute per Christi verba fieri debet: censent enim, ibi esse posita, ut in Sacra Liturgia divinas personas invocando, ordo habeatur, quem invicem servant. Hinc primum Æterni Patris ut Creatoris, et rerum omnium Conservatoris; deinde Æterni Filii, qui homo factus Eucharistiam instituit, cujusque verbis a Sacerdote ejus gerente personam prolatis, Eucharistia consecratur; ac postremo loco Spiritus Sancti mentio, et invocatio occurrit, cui secreta actio, in qua prolatione Christi verborum transmutantur oblata, et Sacramenti effectus tribuuntur.

Nota II. Quamquam erroris notam vitare nequeunt qui Christi verba nullo modo ad Eucharistiæ consecrationem pertinere arbitrantur, et sine ipsis quoque Eucharistiam fieri posse docent; tamen nostrum non est damnare opinionem illorum, qui præter illa verba, etiam invocationem necessariam esse censent, ut Sacramentum fiat. Nam horum opinionem, quam Brunus, Touttaeus, ac nonnulli alii Catholici tuentur, Ecclesia nondum proscripsit.

PROPOSITIO III.

Hæc tantum verba sunt consecrationi necessaria, et essentialia: Hoc est Corpus meum; Hic est Sanguis meus, vel Hic est Calix Sanguinis mei.

(23. Hujus propositionis demonstratione clarius fiet, nil in Orientalium deesse Liturgiis, quod sit ad Eucharistiam conficiendam necessarium, ac non posse Missionarios, Theologos, neque etiam Episcopos ea propria auctoritate Liturgiis addere, quæ in nostra Latina in Calicis consecratione recitantur. Neque nova sunt afferenda monumenta, ut demonstratio pateat. Nam relatæ superius Patrum auctoritates rem extra controversiam ponunt. Omnes enim vim consecrandi Christi verbis inditam a Deo fuisse asserunt, quæ verba a Sacerdote in ipsius Christi persona prolata id efficiunt quod significant. Ita Justinus, Irenæus, Chrysostomus, Epiphanius, Damascenus, et ex Latinis Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, alique. Significant vero Christi Corpus, et San-

guinem verba, quæ nos exposuimus, dum nomine Christi, ac veluti in persona ipsius a Sacerdote proferuntur, ut est exploratum. Accedit etiam, Patres, quos nominavimus, aperte asserere per illa tantum verba consecrari, cum illa tantum recenseant, dum ea referunt quæ Eucharistiam perficiunt. Idemque Florentinum Concilium judicasse, cum dixit, fieri Eucharistiam Christi verbis; et Tridentinum, dum docuit, vi verborum in Hostia Corpus Christi reperiri, Sanguinem vero comitanter; in Calice vero *Sanguinem*, et comitanter Corpus, etc. Quæ sane verba perspicue ostendunt, Christi verba *assertive* pronunciata id efficere, quod significant. Rursus illa verba, *Qui pridie*, etc. *Accipiens Calicem*, etc., non Christi, sed Evangelistarum sunt, et particula *enim* nexum tantum orationis designant; illa vero alia *accipite*, et *comedite* usum Sacramenti commemorant, sicut alia, *qui pro nobis frangetur*, vel *æterni*, etc., in plerisque Liturgiis desunt.

Quis ergo dicat, Evangelistarum verba ac alia, quorum nulla apud Patres mentio est, et quæ in plerisque Liturgiis desunt, ad essentiam consecrationis pertinere? Nemo enim non videt, Evangelistarum verba ad historiam rei gestæ spectare; quæ ex gravi præcepto sunt adhibenda, qui ostendunt Sacerdotum Christi personam gerere, ejusque nomine consecratoria verba proferre, sed ad rem perficiendam, quæ verbis significetur, neutiquam pertinere.

Neque vero dicant Scotistarum nonnulli, esse illa Evangelistarum verba omnino necessaria, quia hac unice ratione ostendi potest, Christi personam gerere Consecrantem, et quia alioquin non Christi, sed suum Corpus designaret, dum ait, *Hoc est Corpus meum*. Nam si Sacerdos eo animi proposito ac voluntate verba a Christo, pro hoc conficiendo Sacramento, stabilita proferat, ut velit id efficere quod Christus perfecit, fierique a Sacerdote ejus nomine agente, mandavit; si in Christi persona, cujus ministerium gerit dicere contendat, *Hoc est Corpus meum*, quid aliud necessarium est ad determinandum, ut non de proprio, sed de Christi Corpore loquatur, dum ait, *Hoc est Corpus meum*. Verba enim a Christo sacramentorum formulæ constituta, dum a Ministro eo animo applicentur, ut facere velit quod Christus instituit, et quod facit Ecclesia, satis sunt ad Sacramenta conficienda, juxta decretum Synodi Florentinæ. Quare ergo verba Christi hæc ratione prolata non sufficient ad consecrandum? Patres enim eandem istis verbis ac formæ aliorum Sacramentorum vim perficiendi Sacramentum tribuerunt. Itaque sicut in aliis Sacramentis, ita, et in hoc intentio Ministri, qua consecrare vult, quaque nomine Christi *assertive*, et *significative*, illa verba profert, satis superque est ad Sacramentum perficiendum, et ad significandum non propriam, sed Christi personam gerere, dum dicit, *Hoc est Corpus meum*. Non negamus, in Rubrica de defectibus *Missæ*, supra a nobis relatæ præscribi, ut defectus materiæ panis, qui

peracta jam consecratione cognoscatur, Ita suppleatur, ut adhibita apta materia, Sacerdos consecrationem a verbis *Qui pridie*, exordiat. Jubet id Ecclesia, fortasse ea quoque de causa, ut etiam per verba Evangelica exprimat Sacerdotem Christi personam gerere. At nunquam docuit, verba illa, vel ad formæ essentiam pertinere, vel ex Christi mandato, necessario esse pronuncianda ut consecratio fiat, sed semper docuit, solis verbis Christi, hujus Sacramenti formam contineri.

Superest modo, ut difficultatem explicemus, quam Thomistarum opinio suggerit de Calicis consecratione, neque enim hæc tantum verba, *Hic est Calix meus*, aut similia, ad consecrandum sufficere autumant; sed omnia necessaria esse, quæ in Canone nostro leguntur; Quia S. Thom. lect. 6. in cap. 11. *Epist. 1. ad Cor.* ait, per illa tantum verba probabiliter esse non fieri consecrationem: Et quia Sanctus Pius V. e Cajetani operibus assertionem huic Thomisticæ opinionis contrariam jussit expungi.

At hæc tanti momenti non sunt, ut dubiam ac suspectam reddant assertionem nostram. Primum: quia opinio hæc necessaria quoque putat verba illa *Mysterium fidei*, quæ ab Evangelistis, et plerisque Liturgiis maximæ auctoritatis omittuntur: Deinde, quia Patres, dum verba recensent consecrationis Calicis, hæc tantum commemorant: *Hic est Sanguis meus*, vel *Hic est Calix Sanguinis mei*; demum, quia Tridentini Patres, dum decrevere in Calice vi verborum inesse Sanguinem Christi, communem sequi visi sunt Theologorum assertionem, quæ statuit verba Sacramenti *significativa* esse, ac efficere quod significant. Ex quo jure meritoque conjicimus, sola illa verba, quæ perfectam, et completam Sanguinis Christi præsentis significationem exhibent, non secus ac illa alia, *Hoc est corpus meum* Christi Corporis, ad Calicis consecrationem sufficere.

Dicimus vero, S. Pium V. jussisse e Cajetani operibus assertionem expungi, quæ S. Thomæ injuriam irrogabat, cum assereret, opinionem illam S. Thomæ contrariam esse, de hoc vero nihil curandum, ut ex Gotti refert P. Berti. Ad S. vero Doctorem quod attinet, quamplures in nostram trahunt sententiam, aio, vel de formæ esse integritate locutum, ut loquitur etiam Catechismus Romanus; vel asserere voluisse, verba illa *Novi, et æterni testamenti*, etc., esse de essentia formæ, non ut subjecta materia consecraretur, sed ad exprimendam Sanguinis effusionem, atque passionem Christi, ut doctissimus P. Berti observavit.

Nota. Diximus sæpe in superioribus propositionibus, verba Christi *significativa*, et *assertive*, non historice tantum esse proferenda, secus ad Novatores arbitrantur. Hic autem animadvertere necesse est, antiquam Patrum, ac Orientalis Ecclesiæ consuetudinem verba illa alta voce pronunciandi assertioni nostræ neutiquam adversari. Nam alta voce antiquitus proferebantur, ac nunc etiam apud Orientales, ut popu-

lus respondendo *Amen*, fidei confessionem de Corporis Christi præsentia exprimat, ut Ambrosius exponit lib. de *Myst.* capit. 9. Addo, Orientalem Ecclesiam Evangelica verba submissa, elata vero voce Christi verba pronunciare, ut hac separatione doceat, se consecrationis verba, ut *efficientia* id quod significant, proferre. Verba itaque Christi *narrative*, seu historice Sacerdos profert, quatenus historiam commemorat institutionis, *significative* vero prout induens Christi personam, ipsius Christi nomine atque vice eadem proferendo, suprema virtute præsens fieri Corpus Christi demonstrant.

§ III. De Eucharistia ejusque Ministro, et Subjecto.

(24. Eucharistia sacramentum est Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis, et vini: hoc est panis, et vinum per verba a Sacerdote Christi personam agente prolata, in Christi Corpus, et sanguinem transmutantur, nihilque remanet substantiæ panis, et vini. Quæ nostris sensibus panem, et vinum exhibent, a Lateranensi, Florentina, et Tridentina Synodo appellantur species panis, et vini; a Constantiensi synodo, ac Theologorum plerisque accidentia panis, et vini; a Patribus apparentiæ, umbræ, figuræ, et velamina panis, et vini; immo Theodoretus, et Gelasius panis naturam appellare, quod instar principii sint, ex quo motus oriuntur qui in nostris sensibus fiunt. Hæ appellationes sunt Latinis, Orientalibusque communes. Quid vero sint species, et apparentia, sive accidentia hujusmodi, quæstio est, quæ ad Theologos spectat. Nobis sat est indicare Deo, qui omnipotenti virtute sua per verba Christi panem in Corpus, et vinum in Sanguinem transmutat, non deesse modum vel conservandi species panis, et vini, aut eorundem accidentia, vel efficiendi in nobis alio modo sensationem panis, et vini.

(25. Cum fides Orthodoxa doceat, sub hujusmodi speciebus divinum esse Christi Corpus, et Sanguinem, manifestum est, Sacramentum istud maximam a nobis exigere venerationem. Atque adeo decenter esse asservandum, custodiendum, deferendum ad infirmos, ac suscipiendum. Hinc Apostolica Sedes etiam Orientalibus inculcat, quæ ad istius Sacramenti venerationem spectant Conciliorum decreta. El cum acceperit, vigere nonnullos apud Græcos abusus, præcepit, I. Ut Sacerdotes frequenter ad pœnitentiæ Sacramentum accedant, cum præsertim divinum Sacrificium sint peracturi; nec communicandos esse pueros rationis usu pollentes, ac altari servientes, nisi præmissa Sacramentali confessione, II. Tollendum esse abusus tundendi, vel exsiccandi species Eucharisticas, ut Sacramentum asservetur; III. Eucharistiam, quæ asservatur pro infirmis, octo, vel saltem quindecim diebus esse renovandam; IV. Non asservandam toto anno, et quæ asservata fuerit, sumendam V; Ne Monachi iter